

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Sirius stella.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Amotum, quo singula maturantur, & multitudinem virtutum, quæ in firmamento sunt, per quas tantum rerum varietas in inferioribus generatur, ac reliquorum denique errorum motum quo suo quæque tempore perficiuntur. Quamvis enim à Solis & Lunæ beneficio vita constet, qua fruimur nostra tamē negotiatio tam ad ipsa duo lumina, quam ad quinque vagas Stellas refertur, ut vulgus Astrologorum putat. Quinetiam nullum in celo fidus, lumen nullum otiosum volunt. Et Cabalistæ nullam esse herbam, plantamve in orbe hoc dicunt, quæ non ab aliqua firmamenti Stella irradietur, foveatur, & ad incrementum adjuvetur. Errorum vero variis coniunctionibus & aspectibus, ut vocant, ea rerum vicissitudo in humanis rebus esse perhibetur, qua Fati cognomento à plerisque nuncupatur. Tametsi clarissimi atque nostra fuerit viri, qui acriter in Mathematicos invecti, hujusmodi veterum ^{Prædictione} commentationes plurimas evertere conati sunt. Cæterum, ut Divos August. & Ambros. ac plerosq. ^{Joan. Petrus Mirandula} è nostris alios missos faciam, qui lapidem hunc volvere, Plotinus è veteribus nihil vi & potestate fidetur hominibus evenire contendit, sed ea qua decreti necessitas quam nostri Prædestinationem vocant in singulos sancit, ita per horum septem transitum, stationem, recessumve, monstrari: ut Aves seu prætervolando, seu stando, futura pennis vel voce significare dicebantur, ipsæ tamen rerum indiciles, ac quid agant prorsus ignara: quarum volatus, aut status, aut garritus, prout fausta inserviae, commoda vel incommoda portendere existimabantur, ita salutares aut terribiles habitas, cum à se ipse neque salutem, neque terrorem ullum afferant.

DE SIRIO. CAP. XXX.

Quam tamen præ se fert Stella Sirius præfigituram, non levi de causa, sed ex gravissimis Philo^{Stella Sirii} & Cæphorum observationibus adinventa est. Ajunt enim Aetæos ortum Caniculae diligenter ^{consideratio} quotannis obseruare solitos, conjecturamque inde capere, salubrissime, an pestilens annus futurus ^{io.} esset. Ea enim Stella si obscurior ac caliginosa propemodum exitisset, pingue ac concretum esse cœlum, ac perinde afflatum ejus gravem & pestilentem futurum abominabatur: si illud illustris atque pellucida apparueret, cœlum idemtide tenue purumq; conjiciebant, futuramque inde salubritatem præfigebant.

COELESTES SPIRITUS. CAP. XXXI.

Cæterum nos cum pie sumus instituti, cur non etiam pie loquamur? Sane constat apud Theologos, & Dionysium præcipue, tres Angelorum esse Hierarchias, quibus in Firmamento sedes ^{Angelorum} ^{tres Hierarchie} præcipue constituta. Harum suprema soli contemplationi vacat, Deumq; perrenni sono continuaq; affiditate nullo unquam tempore defutura, collaudat, Medius autem ordo, cum sit cœlestibus, officiis atque muneribus delegatus, per Firmamentum, quod ab excellentia cœlum appellant, significatur. Postrema vero Hierarchia, et si natura supra omne corpus est, supraque cœlum, curat tamen ea quæ sub cœlo sunt. Et cum dividatur in Principatus, Archangelos & Angelos, omnium horum munus circa ea tantum versatur, quæ sub Luna sunt. Principatum cura circa Resp. Principes ac Reges, ut ex Davide cognoscimus Archangelorum, circa mysteria, & sacras cæmonias. Angelis privatis student rebus, & singuli singulis hominibus adhibentur. Euthymius porro Judæorum fuisse custodem Michaelis nominat, ubi verba citat ex oratione Azaria, libro Danielis ^{Angelus autem Domini descendit simul cum Azaria & sociis in fornacem:} cum tamen Archangelus sit. Sed enim sepe admodum in quotidiano sermone omnes ordines Angeli nuncupatione usurpat. Cum igitur tertius ordo hujusmodi res humanas tueatur, & ad incorruptibile superioris dominii decretum dirigat, cuinam potius quam huic ordini Fati cognomentum dabimus? Qui demum cum octavæ sphera, hoc est, stellato insidat orbi, à soli ejus excellentia Stellæ significatum Fato congruere merito videtur. Neque tamen absurdum est Angelos per Stellas intelligi, qui Stellarum præsides habeantur: veluti cum apud Salomonem pro cœlo Deum intelligimus. Scriptum est enim historia Regum, Exaudi, o Cœlum: ^{i. Reg. 8.} ubinon cœlum tamen, sed cœli & terra Rectorem ac Dominum, ex Theologorum interpretatione, Deum appellat. In Moseos etiam traditionibus, ut summi viri locum interpretantur, per Stellas.

B b b b 4

Angeli